

pullum aquila priusquam albicet cauda. Quidam post Mutium augurem uisus non esse Romae confirmare, ego (quod uerisimilius est) in desidia rerum omnium non arbitror agnitos.

## De accipitribus.

CAP. VIII.

**A**ccipitrum genera xvi. inuenimus. Ex ijs circum claudum altero pede prosperrimi augurij nuptialibus negocijs & pecuarie rei. Triorchem a numero testiu, cui principatu in augurijs Phemonoe dedit: buteonem hunc appellant Romani, familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis nauis sedisset. Aesalona Graeci uocant, qui solus omni tempore apparet. ceteri hyeme abeunt. Distinctio generum ex auiditate. Alij non nisi ex terra rapiunt auem, alij non nisi circa arbores uolantem, alij sedentem in sublimi, aliqui uolantem in aperto. Itaq; & columbae nonere ex ijs pericula, visq; confidunt, uel subuolant, contra naturam eius auxiliantes sibi. In insula Africa Cerne in oceano accipitres totius Maesyliae humi fetificant, nec alibi nascuntur illis assueti gentibus. In Thracia parte super Amphipolim homines atque accipitres societate quadam aucupantur. Hi ex syluis et harundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt. Rursus captas aucupes diuidunt cum ijs. Traditum est, missas in sublime sibi excipere eos: & cum tempus sit capturae, clangore ac uolatus genere inuitare ad occasionem. Simile quiddam lupi apud Maotin paludem faciunt. Nam nisi partem a piscantibus suam acceperit, expansa eorum retia lacerant. Accipitres auium non edunt corda. Nocturnus accipiter cymindis uocatur, rarus etiam in syluis, interdum minus cernens. Bellum internecinum gerit cum aquila, coherentesq; saepe prehendantur.

## De coccyce qui a suo genere iterimitur.

CAP. IX.

**C**occyx ex accipitre uidetur fieri, tempore anni figuram mutans, quoniam tunc non apparent reliqui, nisi per quatuor paucis diebus: Ipseque modico tempore aestatis uisus non cernitur postea. Est autem neque aduncis unguibus solus accipitrum, nec capite similis illis, neque alio colore, ac rictu columbi potius. Quin et absumitur ab accipitre, si quando una apparuere: sola omnium auis a suo genere iterempta. Mutat autem et uocem: procedit uere, occultatur canicula ortu: semperque parit in alienis nidis, maxime palumbium, maiori ex parte singula oua, quod nulla alia auis: raro bina. Causa subiiciendi pullos putatur, quod sciat se inuisam cunctis auibus. nam minuta quoque infestant: ita non fore tutam generi suo stirpem opinatur, nisi se fellerit: quare nullum facit nidum, alioquin trepidum animal. Educat ergo subditum adulterato foeta nido. Ille auidus ex natura, praeripit cibos reliquis pullis, itaque pinguescit, et nitidus in se nutricem conuertit. illa gaudet eius specie, miraturque; sese ipsam, quod talem pepererit: suos comparatione eius damnat ut alienos, absumitque; etiam se inspectante patitur, donec corripiat ipsam quoque; iam uolandi potens. Nulli

tum auium suauitate carnis comparatur illi.

## De miluis.

CAP. X.

**M**ilui ex eodem accipitrum genere, magnitudine differunt. Notatum in his, rapacissima et famelica semper alitem nihil esculenti rapere unquam ex funerum ferculis, nec Olympiae ex ara: ac ne ferentium quidem manibus, nisi lugubri municipiorum imolantium ostento. Idem uidentur artem gubernandi docuisse caudae flexibus, in caelo monstrante natura, quod opus esset in profundo. Milui et ipsi hybernis mensibus latent, non tamen ante hirundines abeunt. Traduntur autem et a solstitijs affici podagra.

## Digestio auium per genera.

CAP. XI.

**V**olucrum prima distinctio pedibus maxime constat. Aut enim aduncos ungues habent, aut digitos, aut palmipedum in genere sunt, uti anseres, et aquaticae fere aues. Aduncos ungues habentia, carne tantum uescuntur ex parte magna.

## De inauspicatis auibus, cornice, coruis,

## bubone.

CAP. XII.

**C**ornices et alio pabulo, atque duricie nucis rostro repugnantem, uolantes in altum in saxa tegulas iaciunt iterum ac saepius, donec quassatam perfringere queant. Ipsa ales est inauspicata garrulitatis, a quibusdam tamen laudata. Ab arcturi sidere ad hirundinum aduentum notatur eam in Mineruae lucis templisque raro, alicubi omnino non aspici, sicut Athenis. Praeterea sola haec etiam uolantes pullos aliquandiu pascit: inauspicatissima fetus tempore, hoc est, post solstitium. Ceterae omnes ex eodem genere pellunt nidos pullos, ac uolare cogunt, sicut et corui: qui et ipsi non carne tantum aluntur, sed robustos quoque fetus suos fugant longius. Itaque paruus in uicis non plus bina coniugia sunt: Circa Cranonem quidem Thessaliae singula perpetuo: genitores soboli loco cedunt. Diuersa in hac et supradicta alite quadam. Corui ante solstitium generant: iidem aegrescunt sexagenis diebus, siti maxime, antequam fici coquantur autumno, coruix ab eo tempore corripitur morbo. Corui pariunt cum plurimum quinos. Ore eos parere aut coire uulgus arbitratur. Ideoque grauidas, si ederint coruinum ouum, per os partum reddere: atque in totum, difficulter parere, si tecto inferantur. Aristoteles negat, non hercule magis quam in Aegypto ibim: sed illam exosculatorem, quae saepe cernitur, quale in columbis esse. Corui in auspicijs soli uidentur intellectum habere significationum suarum. nam cum Mediae hospites occisi sunt, omnes a Peloponneso et Attica regione uolauerunt. Pessima eorum significatio, cum glutuunt uocem uelut strangulati. Vncos ungues et nocturna aues habent, ut noctuae, bubo, ulula. Oium horum hebetes interdum oculi. Bubo funebris, et maxime abominatus, publicis praecipue auspicijs, deserta incolit: nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa: noctis monstrum nec cantu aliquo uocalis, sed gemitu. Itaque in urbibus aut omnino in luce uisus, dirum ostentum est. Priuatorum